

nensem, & Imperium affecutus est, Carolo Gallia omnis, cum Mosa, Ludouico Germania celsit. Sed defuncto patre, ea fratrum concordia non diu permanfit. Nam Lotharius & Ludouicus maximo aduersus Carolum comparato exercitu, eò quòd Carolus nobilioris paternæ possessionis hæres à patre institutus esset, in ipso resurrectionis Domini die, infestis signis ad Fontanicum Altisiodorensis agri vicum concurrere, in qua Carolus superior euasit, ac tot milia utrinque cecidère, vt conuulsæ sint propè Imperii vires, ac tota nobilitas Francica ferè periret. Et cum bellum repararent, iterum victi pacem petierunt. Quæ his conditionibus data, vt Carolus Rex Franciæ, Ludouicus Germaniæ Rex diceretur, omnemque Germaniam vsq; ad Rheni fluentia possideret, cum nonnullis adiacentibus ciuitatibus & pagis trans Rhenum ob vini copiam admodum acceptis: Lotharius verò Galliam Belgicam, regnum Prouinciæ, & eam portionem terræ, quæ ab eo Lotharingia est dicta, acciperet, cum iam Italiam possideret. Pipinus, Nepos eorum, ex Pipino fratre in monasterium detrusus est. Lotharius verò Imperator partitus filiis regna, Ludouico in Imperii consortem adscito, concessa Lothario Aufrasia, & Lotharingia, Carolo verò Prouinciæ regno, tædio rerum aduersarum, monasticam vitam in Monasterio Prumia secutus est, postquam imperasset x v. annos.

In monetæ huius parte altera conspicitur victoria, dextra imaginem Crucis, sinistra hastam tenens, inscriptione adiecta: CONCORDIA MILITVM.

Hermingradis matrona nobilis & pudica Lotharii vxor, cui tres filios peperit, Ludouicum, Lotharium & Carolum, qui triennio ante patrem diem obiit.



LOTHARIVS filius Lotharii Imperatoris, defuncto patre